

S. 74

DISSERTATIO MEDICA IN AVGURALIS
DE
**MEDICAMENTIS
CARDIACIS**
Von Herzstârfungen

QVAM
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV
PRÆSIDE
VIRO CELEBERRIMO
LAVRENTIO HEISTERO
MED. D. ANATOM. PHYSIOL. AC CHIRVRGIÆ
IN ACADEMIA JVLIA P. P. O. ACADEMIARVM
CÆS. NAT. CVR. ET REG. BEROLIN.
SOCIO

PATRONO ATQVE HOSPITE SVO
MAXIME DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS
DEFENDET
MARTINVS CHRISTOPHOR. POLENTZ
LIPSIENSIS

D. XIV. NOVEMBRIS AN. MDCCXXIX.
HORIS LOCOQVE CONSVENTIS.

HELMAESTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRIT
ACAD. TYPOGR.

282

MEDICAMENTIS
CARDIACIS

SANCTA CATHERINAE

PRESIDE

ANNA CLAVELLARIA

LAVARE IN HERBIS

ANATOMIA THYROIDIS AC CERVICIS

IN ACADEMIA ITALIAE ET ACADEMIA VENETIAE

QD. A. T. Q. R. S. M. S. S. S. S.

2000

PARVUS LAVARE 15261700

ANNA CLAVELLARIA

TRADICADA DOCTORIBVS

MARTINVS CHRYSOSTOMVS DOCTORIS

11. 11. 11.

IN TUNICAM BURRAS AC MANTICULAS

1000 1000 1000 1000 1000

TIBI TAVAM DILECTERICI SCHOLIO

1000 1000 1000 1000

ACAD. A. Y. 1000



DISSESTITO MEDICA INAVGVRALIS
DE MEDICAMENTIS
CARDIACIS.

I.



Viam vel etiam in vulgus notum sit,
a motu cordis omnem nostram de-
pendere vitam, prudentioresque Me-
dici quoque agnoverint, motum
cordis esse ipsam vitam, atque ab
huius motu ordinato ac vegeto vi-
res nostri corporis ortum ducere,
a motu vero languido ac debili vi-
res labefactari, deficere, atque his
sensim decrementibus, summuin languorem, tandemque
motu eius penitus cessante, mortem sequi; hinc xgrī &
adstantes in morbis, non solum periculis, verum etiam
sepe in levioribus, ubi qualiscunque virium defectus ob-

A 2

ser-

servatur, a Medico urplurimum nihil magis expertunt, nihil anxius desiderant, quam ut cordi bene prospiciat, eius vires sive vigorem conservet, ægroque medicamenta cordalia sive cardiaca præscribat, vel ut vulgo id exprimere solent, daß man dem Patienten das Herz wohl verwahren möge. Hoc vero, cum ab empiricis, mulierculis, imperitis, imo ipsis nonnullis Medicis vel uno eodemque modo in omnibus, vel inepta, perversa, noxia ac contraria sæpe morbo ratione fieri, atque hoc ipso gravissimi sæpe errores ægris valde noxiæ committi soleant, attamen cardiacorum administratio viriumque conservatio atque refocillatio non uno, ut multi putant, modo sit instituenda, sed pro diversitate ægri, morbi eiusque circumstantiarum, alia atque alia ratione fieri debeat, nisi enormes in Medicina errores committere velimus. Quapropter opera pretium me facturum esse iudicavi, si dissertationis inauguralis loco cordialium sive cardiacorum, ut vulgo vocant, remediorum naturam, diversitatem, agendi modum, atque legitimum usum paullo penitus pro viribus investigavero: quod ut in solatium & conservationem multorum ægotantium feliciter cedat, a Deo obnixis oro rogoque precibus.

II.

Antequam vero hoc fiat, ut eo melius rectiusque ea omnia, quæ dicturi sumus, intelligantur, ex physiologia prius hic nonnulla praemitemus, que motum cordis naturalem eiusque legitimum statum ac vigorem ostendunt. Apud præstantissimos tuniquum Medicos in confessu est, motum cordis naturalem fieri partim a legitimo, regulari, moderato ac aquali spirituum sive fluidi nervi a cerebro ac præseruim a cerebello, partim a sanguinis debito in cor influxu. Spirituum influxum hic requiri, ex eo patet, quia ligatis nervis a cerebro ad cor abeuntibus, pari nempe va-

go

go & intercostali, in animalibus viventibus, motum cordis mox languere, ac brevi penitus cessare, siveque animal mori observamus. Vnde constat, necessario aliquid a cerebro per hos nervos in cor influere, quod motum cordis efficit sive producit: quia alias ratio nulla clara aut perspicua huius observationis sive phænomeni dari potest ab illis, qui spiritus animales sive fluidum subtilissimum in nervis negant, quæ eruditis satis faceret. Ideoquid impedit motum spirituum in cor, sive etiam eorum in cerebro generationem, cordis ac virium languorem inducit, tandemque, nisi causa eius tollatur, mortem excitat.

III.

Deinde ad motum cordis concitandum conservandumque etiam multum facit *sanguinis in cor influxus æqualis ac legitimus*. Quando enim sanguis omnis vel salem maxima pars e vasis sanguiferis effluit, v. g. in vulnera, vel etiam alia larga haemorrhagia, motus cordis primo languet: deinde nisi in tempore fluxus sanguinis fistatur, penitus una cum vita cessat. Docent hoc vulnera, docent hoc laniiones, imo ancilla in culinis, quando animalia in uestum culinarem mactare solent; docent hoc ligatura arteriarum in musculos abeuntium; nam ligata eiusmodi arteria, motus musculi cessat sive tollitur: unde apparet, sine sanguinis in cor influxu motum cordis fieri nullum.

IV.

Concurrit vero sanguis dupli ratione ad motum cordis præstandum, iuvandum conservandumque; & primo quidem sanguis venosus, tam per venam cavam, quam per pulmonalem ad cor refutus. Quando enim cor se constringit, (id quod *systole* appellatur) sanguinem omnem e cordis ventriculis in arterias, pulmonalem scilicet atque

aortam simul expellit : & ventriculi cordis constricti persistenter , nisi a causa quadam nova rursus expanderentur sive distenderentur. Cessante itaque sive remittente systole cordis , ex utraque eius auricula venisque proximis , cava nimirum & pulmonali , sanguis novus in utrumque simul ventriculum cordis impellitur , qui eos implet & vi quadam distendit ; qua actione cordis ambo ventriculi eorumque fibrae musculares expanduntur , atque hoc modo fit *cordis diastole* eiusque ventriculorum modo exinanitorum a sanguine nova repletio.

V.

Quia vero omnis fibra muscularis , vi diducta sive extensa , ob naturalem suam fabricam ac vim , qua pollet , elasticam , se restituere , & in statum quietis redire conatur , sola tamen muscularis elastica cordis fabrica tantas non possideat vires , ut se ipsum tanto vigore , quantus ad sanguinem expellendum ac per totum corpus propellendum requiritur , constringere valeat , ut ex N. II. patet , duo ad minicula sive due causæ sociaæ hic concurrunt , quæ constrictionem sive systolen hanc producunt atque efficiunt .

VI.

Vna causa est illud fluidum , quod a cerebro per nervos accedit & in cor influit , quocumque illud nomine quis appellare velit , ut iam supra probatum est . Altera vero causa est sanguis , qui ex arteria aorta in systole huius arterias cordis coronarias tempore diastroes cordis irruit : quo vasa & fibra cordis , systole inanita , rursus replentur , novum vigorem acquirunt , atque sic dum a sanguine in ventriculis contento ad novam constrictionem irritantur , valida vi se constringunt , sanguinemque contentum expellunt .

VII.

Quamdiu igitur ha^systoles ac diastroles causæ laudatae
(N. III. IV. V. VI.) æqualiter & moderate agunt; id est,
quamdiu spirituum per nervos & sanguinis per vas^a influ-
xus convenienti & naturali modo, ut & requisita copia con-
tingit, ita ut cor sine impedimento motus suos, ad modum
perpetui mobilis, rite perficere & continuare potest, tam-
diu vires hominis erunt naturales, vegetæ atque constantes.
Quando vero laſio ſive impedimentum huius influxus ex
quacunque oritur cauſa, mox motus cordis atque ſimul et-
iam vires nostri corporis alterantur ac lœduntur, atque ut
laſio illa tollatur, impedimentum removeatur, motusque
in integrum ac naturalem ſtatū restituatur, requiritur: quia
alias homo valere non potest.

VIII.

Lædi vero motum cordis vario modo, & variis de cau-
ſis, variisque etiam in morbis, ſenſium beneficio fatis ab-
undeque deprehendimus. Nunc enim plus iusto accelerat-
ur, ut aſtu aeris, ingeſtis calefacientibus, ſpirituofis, item-
que in febribus, inflammationibus, variis ebullicationibus
ſanguinis, omnibusque morbis calidis; nunc vero magis
quam par est, retardatur, imminuitur, ut in morbis frigi-
dis, ſenū, phlegmaticorum, atque in iis qui magnam
ſanguinis aliorumve humorum iacturam paſſi ſunt: quemadmodum
poſt hæmorrhagias vulnerum, narium, menſi-
um, lochiorum, hæmorrhoidum nimias; dyfenterias, dia-
rroreas aliosque alvi fluxus nimios; itemque poſt nimiam
venerem, vigilias nimias, diurnam inediam, morbosque
longiores toto die conſpicimus. Sic etiam ex laboribus ac
ſtudiis, nimis cordis motus ita ſepe langueſcit, ut qui hiſ
plus iusto indulgeant, tam lentum ac debilem motum cor-
dis & arteriarum experiantur, atque inde adeo debiles eva-
dant

dant, ut facile ac frequenter in animi deliquia incident & quandoque perirent, nisi cordalium remediiorum ope reficerentur.

IX.

Quare vero in febribus, inflammationibus aliisque morbis calidis, ubi motus cordis solito longe frequentior deprehenditur, debilitas sequatur, eaque saepe tam ingens, ut ne pedibus ægri insistere, imo vix caput aut brachia elevare valeant, maxime ex læso æquabilis sanguinis & cum primis spirituum motu atque in cor influxu, tanquam cauta proxima & præcipua dependere existimo. Quando enim heterogeneæ sive noxiæ in sanguine particulae, præserrim acres, alcalinæ, putridæ aut sponte generantur, vitio vietus aliarumque rerum nonnaturalium; aut virtus aeris, ut in febribus contagiosis, haud obscure intelligere licet, in sanguinem perveniant, vel in corde & arteriis, vel in cerebro & nervis, vel in utrisque partibus corde scilicet & nervis, simul tantum excitare valent irritationem, atque motum inordinatum, ut si in corde atque arteriis ea contingat, tam frequens atque velox harum motus concitatur, & sanguis tanto impetu & irregulari agitatione propellitur, ut tandem cor, quod in naturali statu nunquam lassum deprehenditur, ita a motu ac labore hoc nimio delassetur, ut necessario eius debilitas, quemadmodum alias in aliis partibus inde producatur: cum primis quia hoc ipso nimio & præter naturam aucto motu cum spiritus sive tenuissimum illud fluidum in nervis, tum subtilissimum in sanguine non solum haud regulari motu fluat; verum etiam ab æstu illo insolito diminuatur, diffletur & consumatur, ut sufficienti copia nervos & fibras muscularares replere nequeat. Hinc nisi his in casibus convenientibus cardiacis ægris succurratur, non nisi pessima quavis sperare licet.

X. Quan-

DE MEDICAMENTIS CARDIACIS.

X.

Quando vero noxia sive irritans materia cerebrum & iusque membranas aggreditur, id quod ex qualicunque mentis alienatione, maxime vero ex deliriis & capitiis vehementi dolore, suspicari licet, tunc tam vehemens, inaequalis & irregularis sequitur spirituum in cor influxus, ut eius motus quidem principio augeatur, viresque robustiores videantur, dum delirantes vix a duobus vel tribus hominibus contineri possunt. Attamen quia hoc nimio, vehementiori ac præcipiti motu spirituum in cor, hoc tandem, diminutis ac fere consumptis spiritibus, languescat, delirantes tandem, quamvis antea robustissimi fuerint, summe evadunt debiles, atque cordialium remediorum operam requirunt quam maxime.

XI.

In frigidis vero morbis & cumprimis in senibus, ubi vigor naturalis a pristina sua indole remittit, motus cordis, humorum ac spirituum fit nimis languidus, humores nimis phlegmatici, pituitosi ac lenti, ita ut tandem sufficieni ac debita copia spiritus exinde secerni, adeoque nec ad cor a cerebro dimitti queant: unde tandem debilitas cordis & senum naturalis quam maxime provenit, quorum quam plurimi propterea frequenti ac quotidiano cordialium usu indigent, quando negotia sua utcunque perficere gestiunt.

XII.

Cæteri homines valde pituitosi ac phlegmatici frigidis plerumque morbis, ut cachexia, asthmate pituitoso, & limibus, cum virium languore laborant; quia e pituitoso ac viscido sanguine pauci subtile humores & spiritus in cerebro secerni & ad cor amandari possunt: idcirco ii utplu-

B

rimunt

10. DISSERTATIO INAVGVRALIS

rimum languent, cordis motus est debilis & confortantium usum desiderant.

XIII.

Qui diuturnos alvi fluxus, aut largas sanguinis profusiones, sive ex vulneribus sive aliunde sunt perpetui, eorum cor ac totum corpus mirum quantum debilitantur: quia & humores & spiritus his in casibus agros deficiunt, a quibus tamen omnis vis & vigor cordis dependent. Ex his etiam facile intelligi potest, quare illi, qui diurna inedia aut morbis chronicis vel gravibus fuerunt conflectati, cor adeo habeant deibile.

XIV.

Præterea, quod homines nimis laboribus, nimis studiis & cunctis lucubrationibus, itemque nimia venere fiant debiles, causam meliorem dari non posse existimo, quam quod his in rebus spiritus sive tenuiores nostrorum humorum particulæ nimis consumantur, ita ut reliquæ spissiores simul redditæ ad vegetum ac naturalem motum continuandum conservandumunque non sufficiant.

XV.

Denique cur opiatorum abusus cordi totique corpori languorem inducat, causam esse puto, particulas eius fulphureas, crassas, viscidas, quæ partim subtilissimos tubulos cerebri ac nervorum implet & obstruunt; partim ipsam cerebri lympham, unde spiritus secernendi, spissam redundat, ut hi inde separari nequeant, multo minus in cor influere.

XVI.

Ex his, nisi me omnia fallunt, appareat, eordialia remedia non posse esse unius eiusdemque generis, multo minus unit-

DE MEDICAMENTIS CARDIACIS.

universale cardiacum sive confortans, ut quamplurimi somniarunt, (quod vel panaceam, vel medicamentum universale, vel lapidem philosophorum ipsis appellare placuit, & quibus quamplurimis impoſuerunt) dari aut existere posse. Cum enim nunc nimius motus humorum sit temperandus ac minuendus; nunc motus nimis languidus excitandus & augendus, nunc humores deficientes, ut post largas haemorrhagias & alvi fluxus vehementiores, restituendi; nunc humores abundantes minuendi, haud apparet quomodo hac omnia ab uno eodemque medicamento, cuiuscunque etiam sit indolis, aut sperari aut expectari queant. E contrario facile ex his intelligi posse arbitror, ob diversitatem causa debilitatis cordis, diversis etiam remediis succurrendum esse, si, ut par est, secundum sanæ rationis dictamen atque accuratam experientiam procedere velimus.

XVII.

Cardiaca igitur sive *cordialia* remedia nobis sunt non solum calefacentia quævis medicamenta, non spirituosa, non aromaticæ, aliave calidioris naturæ auxilia, ut haud pauci temere iudicant; sed potius *omnia illa*, quæ motum cordis præter naturam sive nimis auctum, sive nimis depresso ac languidum, in naturam statum, sublata cauæ motus inordinati, restituunt. Appellantur etiam *confortantia*, *roboranția*, *corroborantia*, & *analeptica* remedia: quæ vero pro cauæ diversitate nunc sunt *calefacentia* & motum humorum excitantia, ut in frigidis, pituitosis & feniibus; nunc *temperantia*, *diluentia*, ac *refrigerantia*, ut in febribus, inflammationibus, sive calidis morbis; nunc vero facile digerenda & bene *nurrientia* optima sunt cardiaca, ut post largas haemorrhagias aliorumve humorum astutram; nunc vero *quies* & *somnus* omnia etiam quam ma-

me iactata analectica superant, longisque intervallis post se relinquunt, sicut iam paullo specialius exponemus.

XVIII.

Igitur in *calidis morbis*, febribus, nominatim continuis, tam benignis, quam malignis, tam exanthematicis, quam non exanthematicis, itemque inflammationibus *principue internis*, ut pleuride, peripneumonia, phrenitide &c. si quis spiritus ardentes, aromaticos, olea destillata, quæ alias potentissima sunt cardiaca, ut oleum cinamomi, caryophyllorum, de cedro, aliaque similia; vel aquas vino aut spiritu vini & aromaticis paratas, vel ex ambra, salibus volatileibus oleosis, balsamis, aquis vel *spiritibus vita* dictis, aliisque pro potentissimis vulgo habitis cardiacis parata, ægris exhibere hic veller, & quidem frequenter, aut in larga copia, ille profecto oleum, ut aiunt, igni affunderet, æstum, impetum cordis, ac debilitatem in ægro his ipfis cardiacis augeret, inflammationem ac deliria, tandemque mortem certam induceret.

XIX.

E contrario *cardiaca optima* hic esse deprehenduntur generatim *porus sufficiens*, *tenuis* sive *aqueus*, & speciatim *potus aquæ simplicis* sufficienti, imo larga copia ægris concessus, si modo nonsit nimis frigidus. Dicivix potest, quantum damni illi Medici ægris olim intulerunt & adhuc inferrunt, qui ipsis potum tenuem, aqueum his in morbis denegant, & vel nullum, vel saltē magis, ut aiunt, confortantem, ut cerevisiam quandam craſtam & forteam, vel vinum, vel quod adhuc magis mirandum, spiritum vini aut frumenti commendant: dum cum vulgo existimant, ex aqua vel tenui potu nullas vires acquiri posse, potusque aqueos ventriculum nimis lacerare. Verum incredibile est,

quā-

quantum homini a calore sive æstu febrili maxime fitienti,
 & quasi exusto, solatii & auxilii afferat potus aquæ simplicis,
 & quam egregium hic sit cardiacum, omnia calefacentia,
 aromatica, spirituola, oleosa & ambrata præstantissima lon-
 ge superans, quemadmodum de huius virtutibus ac præ-
 stantia plures: qui de aquæ simplicis utilitate scripserunt,
 uberiori evolvi legique poterunt. a)

XX.

*Quod vero aqua simplex tantum in his morbis sit car-
 diacum rationes sunt quamplurimæ; primo enim adest æstus
 & inde pendens fitis, quibus ægri vehementer afficiuntur
 ac debilitantur, præsertim si iis potus vel omnino denega-
 tur, vel saltem crassus, ut cerevisia, vel vinosus conceditur.
 Si modo iam cogitamus, quando quis æstivo tempore iter
 facit, vel laboribus corpus fatigat, atque ab æstu longoquo
 labore aut itinere, ubi potum obtinere non potuit, valde
 delassatus ac ficiens, tandem fontem vel aquam bonam aut
 gratam invenit, quam egregie inde vires eius reficiantur, &
 quantum solatii, dum vehemens fitis ac æstus, quos patieba-
 tur, ea tam suaviter temperantur ac sedantur, inde persen-
 tiscantur. Ita profecto in febribus continuis quibuscumque,
 variolis etiam atque miliari febre, aliisque similibus morbis,
 dici vix potest, quomodo ægri hi æstu fitique fere confecti,
 a potu aquæ, præsertim si ea ipsis antea denegata sunt, robo-
 rentur, novasque uno quasi momento vires acquirant.*

B 3

XXI.

-
- a) Ut HENRICI MEIBOMII dissertatio de aquæ calidæ potu;
 FR. HOFFMANNI de aqua medicina universali; & nu-
 per adhuc Medicus Anglus, SMITH, in peculiari de aquæ
 simplicis in medicina præstantia.

DISSE^TAT^O IN AVGVSTIS

XXI.

Cum vero sitis his in morbis a defectu humidi sive a
qui liquoris tenuis in sanguine proveniat, atque etiam ob
eundem humidi aquei defectum ipsi spiritus & vires defici-
ant, sufficienti aquæ potu *tenue humidum sanguini*, quod ad
motum eius expeditum adeo necessarium est, restituuntur
ita ut tam saliva blanda, tenuis, in ore & saevis, (a cuius
defectu sitis ingens proveniebat) quam spiritus in cerebro,
qui vires restituunt, rursus secerni queant. *Nihil præterea*
est, quod æstum magis temperat atque moderatur, quam a-
que potus: præterim si febris ab abusu inebriantium, spi-
rituorum, sive a crapula, sive etiam ab æstu solis motu
que corporis nimio proveniat. Quam egregie enim vis at-
que calor vini a multa, affusa aqua temperetur, non est ut
multis hic dicamus.

XXII.

Deinde cum in *febris continuis siccis sanguinis*,
præsertim alcalia, valde exalentur, eaque rodendo, stimu-
lando, motum eius sitimque augentio morbum longe deter-
viorem reddant, nihil profecto est, quod ad vim salium mi-
nuendam, atque ad ea diluenda, ac temperanda salia aptius sit
aqua. Hac enim optime solvuntur, dissociantur & inertia red-
duntur, quemadmodum id etiam in culinis nostris est;
atque sic hac ipsa stimulus, qui vel in corde & vasis sanguini-
feris, vel in cerebro & nervis autor est frequentioris motus
cordis & sanguinis, enervatur, obtunditur & tandem ope a-
queorum tam per diaphoresin ac sudorem, quam per urinam
ex corpore eliminatur.

XXIII.

Denique quia in *febris & inflammationibus* in par-
tibus mobiliores utplurimum *stagnationes sanguinis* ad-
sunt,

sunt, unde saepe tantæ debilitates his in morbis oriuntur, etiam ad has resolvendas unum ex primariis medicamentis est aqua, præfertim calide hausta. Hæc enim particulas sanguinis glutinosas, viscidas, quenadmodum ipsum tenacissimum gluten fabrorum lignariorum sive arculariorum aqua calida solvi perspicimus, egregie imo optime resolvit, obstruktiones expedit, poros cutis obstruclos referat, transpirationem insensilem, a cuius suppressione saepius febres & inflammationes oriuntur, restituit, sudoresque, sine quibus nemo a febri vel inflammatione curatur, promovet, atque sic omnia præstat, quæ ad morbos hos tollendos adeoque ad vires cordi restituendas a cardio-remedio exspectari possunt.

XXIV.

Atque ab egregiis præstantissimisque his aquæ virtutibus, præcipuas, si non omnes, vires mutuare existimo nonnulla decantatissima & carissima, non nisi maximo pretio a magnatibus comparanda febrium continuarum cardiaca. Ita enim lapis porcinus, vulgo *Piedro del porco*, multis unicis auri a magnatibus redimitur, cui aqua servida ad modum infusi Theæ superaffunditur, qua deinde ægris eiusmodi debilibus ad vires resocillandas tanquam summum cardiacum haurienda exhibetur. Aqua vix notabilem saporem vel odorem inde acquirit, lapisque valde iners mihi videtur. Interea tamen miracula quasi saepe præstissime dicuntur his in morbis, ægrique, qui desperati quandoque habebantur, post eius usum restituti sunt: quas vero virtutes ego aquæ calidæ magis adscribo, quam lapidis virtuti: quia huic sine aqua non magna laudes aut virtutes tribuuntur. Idem iudicium mihi est de lapide quadrato, *piedro quadro dicto*, itemque de radice *Ninsin* vel *Nisi*, decantatissimis illis cardiacis: imo de *lapide bezoardico* ipso, *lapide de Goa*,

alii-

aliisque similibus: quorum omnium sane vis' cardiaca vel nulla vel levis saltem mihi videtur, nisi vel aquæ calidæ fuerint infusa, vel cum aqua calida exhibeantur.

XXV.

Loco aquæ simplicis in his morbis etiam optimo cum successu aqua cum hordeo vel avena, vel etiam pane, præfertim triticeo decocta, tanquam cardiacum in usum vocari potest: quarum priores decoctum hordei vel avenæ, posteriorem ob colorem albicanter, decoctum album vulgo appellare solent, quodque Anglis in frequenti usuet. Hæc enim omnia decocta, licet valde sint simplicia, ob lubricum tamen & blandum mucilaginosum, quod continent, acre stimulans, motuque cordis exacerbatum producens, egræ corrigunt, & adhuc melius demulcent, quam si aqua simplex adhibetur. Atque eandem etiam ob causam decoctum cornu cervi iam a longo tempore, tanquam præstantissimus potus & haud contemnendum cardiacum in febris continua, benignis & malignis a quam plurimis Medicis practicis celebratur atque commendatur.

XXVI.

Longe vero potentiora & gratiora sunt in his morbis cardiaca, si aqua vel decocta laudata grato quodam acido ac dulci imprægnantur. Ita si his succus citri ad gratum acidum saporem cum paucio sacharo, quantum ad gratiam requiritur, immittitur, maiores profecto inde vires cardiacas percipiunt ægri. Ab acidis enim sitis & æstus magis leniuntur, acre alcalinum putridum in his morbis & præfertim in malignis magis peccans, quemadmodum varia pestis aliarumque malignarum febrium phænomena evincunt, his ipsis melius corrigitur & obtunditur, atque sic sanguinis dispositio & motus ad naturalem statum rediguntur.

tur, pristinæque vires sensim restituuntur. Sic si loco suc-
ci citri & sacchari *sirupus de acido citri*, *sirupus granato-
rum*, *ribesorum*, *berberum*, *cerasorum acidorum* aut simili-
lum, aquæ vel decoctis illis immiscetur, grati inde fiunt
iulepi cardiaci, quibus effectus corroborans sive analepti-
cus egregius obtinetur. Quando maior adhuc vis aci-
di, ob maiorem æstum, sitim, saliumve alcalinorum a-
crimoniam desideratur, *spiritu quodam acido*, in primis *vitrioli vel sulphuris* ad moderatum acorem instillato obti-
neri potest: unde egregiam virum instaurationem ægri-
hic persentiscent; id quod etiam fit *mixturis blande aci-
dis*, quibus Medici his in morbis frequenter & bono cum
successu utuntur.

XXVII.

Ita ob eandem fere rationem modicum vini germanici,
præfertim rhenani, cum aqua vel decoctis illis mixtum,
vel subinde his interpositum, tantum abeat, ut noceat his
ægris, quemadmodum multi oinophobi immerito iudi-
cant, omneque vinum, ut venenum, reieciunt, sed potius
mirum in modum inde, & quidem melius plerumque,
quam ab omnibus e pharmacopolio depromptis cardiacis,
ob saporem & odorem gratum, cerebro & cordi plerum-
que amicissimum, præfertim si ægri illud appetant, con-
fortantur: quemadmodum Excellentissimus D. PRÆSES
sæpiissime observavit; quiique etiam propterea his in mor-
bis haustulum vini, quando ægri illud desiderant, nun-
quam interdicit, nec unquam, si modica modo copia ad-
hibeatur, nocuisse observavit. E contrario sæpius notavit,
ægros, qui haustulum vini ad cor roborandum quam ma-
xime anxie desiderarunt, quibus vero Medici illum nulla
ratione concedere volebant, & vinum venenum hic esse
clamabant, misere obiisse.

XXVIII.

Sed obiciunt hic Medici, qui vinum in febribus continuis prohibent, morbos hos esse calidos, atque vinum quoque calefacere: idecirco vinum æstum ac motum cordis, iam celeriorem, adhuc magis augere atque intendere, adeoque prodeesse non posse, sed potius nocere. Aliis, qui acidum febrium caulfam esse volunt, non modo calor vini, sed quam maxime acidum eius est suspectum; dum credunt febres ab acido non solum oriri, sed etiam augeri. Verum acidum febrium continuarum caulfam non esse iam sat, ni fallor, a principibus Medicorum evictum est: ita ut ob paucum & blandum illud acidum, quod in boho vino latet, profecto nihil mali hic sit metuendum. Deinde ad prius, quod vinum scilicet calefaciat, respondemus, hoc a vino fieri, si larga copia assumatur; minime vero ipsum calefacere aut æstum inducere, si parca quantitate ac multa aqua, quemadmodum nos præcepimus, dilutum hauriatur: ita enim a multa aqua intermixta eius vis calefaciens sic infringitur ac temperatur, ut ne minimum caloris augmentum, sed potius virium moderatum incrementum inde percipiatur.

XXIX.

Denique inter cardiaca febrium continuarum etiam referto frigus moderatum loci, ubi ager decumbit. Profecto æstus nimius quantum & sanos & ægros, præsertim in febribus, ubi ægrotantes iam æstu ferventissimo quasi uruntur & fere consumuntur, debilitet, nemini est ignotum; dum saepius videmus, sanos & ceteroquin bene valentes, tempore aut loco nimis calido in animi deliquia incidere. Adeoque ad ægrorum vires conservandas, vel, ubi iam collapsæ in his morbis, restituendas, primo cubitala

cula non sint nimis calida, sed temperata, & ad frigus potius quam ad æstum inclinantia: ut expertissimus & prudenterissimus febrium continuarum Medicus SYDENHAMVS aureis suis scriptis sape monuit. Deinde fragulis multis, nimis aut gravioribus & calidioribus non sunt obruendi; sed ita tantum, quemadmodum bene valentes asserui, aut sanis grata sunt, tegendi. Sic vires cordis & totius corporis longe melius & conservabuntur, atque immunita restituentur, quam si contrario modo procedemus. Calor enim nimis subtilissima corporis nostri fluida sive spiritus nimis dissipando tantopere debilitare videtur.

XXX.

*Quodsi vero cardiaca sive confortantia requirantur in morbis frigidis, debilitate senum, languore virium vel alaboribus sive studiis nimis, animi deliquis ab iisdem causis oriundis, aquæ, refrigerantia, acida & similia hucusque commendata vel nocent, vel saltem non prodecent, nihilque efficerent; verum calefacentia, vinum generosum, aliaque spirituosa, & aromatica grata, olea ex his parata & præferunt ex cinamomo, tanquam omnium gratissimo, sialia volatilia oleosa, elæosacchara, pulvis cordialis Zellenfis, aureus vulgo dictus, oleo cinamoni ditissimus; aquæ destillata spirituosa, in primis aqua cinamomi, cortic. aurantium, cortic. citri, florum naphæ, cum & sine vino, eorumque spiritus & essentia; ita & succolada, ambra & exinde confecta, ut essentia eius, *confectio alkermes*, completa dicta, species diambræ & diamoschi, aliæque compositiones medicæ, quas grata aromata, ambra & moschus ingrediuntur: his enim aliisque similibus modus cordis & arteriarum nimis tardus & languidus excitatur, humores ni-*

mis frigidi, viscidi & pituitosi attenuantur ac resolvuntur, ut plures spiritus inde in cerebro secerni, iisque tanto facilis in cor reliquasque corporis partes influere queant. Nam notum est, ea medicamenta, quæ cor roborant, etiam ceteris partibus simul vires largiri.

XXXI.

Si virium languores a venere nimia, qua spiritus & humores optimi deperduntur & ex corpore quasi exhauiuntur, ortum ducunt, vel a nimia inedia, vel ab haemorrhagiis aliisque fluxibus nimiis, neque refrigerantia neque calefacientia auxilium praebent, aut roborandi scopo satisfaciunt; verum grata nutrientia, evpepta, iusecula, gelatinæ, lacticinia, ova forbilia, emulsiones, succolada alia que similia optima erunt cardiaca: verbo, omnia ea, quæ bonum nutrimentum praebent, quod cito & facile in sanguinem intrare potest, nec longa mora aut digestione in ventriculo indiget; quibus tamen subinde haustulus vini generosi cum fructu interponi poterit. Ex quibus vero manifestum est, in his casibus cardiaca magis culina, quam ex pharmacopolio esse petenda; ut & non semper medicamentis, sed saepe etiam diæta sive victu ægros esse curandos.

XXXII.

Interdum etiam, quod mirandum videtur, *venæfæcio* sive *sanguinis missio* egregium est cardiacum. Haud raro enim contingit in hominibus plethorici, aut ubi sanguinis consuetæ evacuationes suppressæ sunt, in primis ubi menses vel haemorrhoides statim tempore non fluunt, ut sanguis tanta copia circa cor & pulmones coacervetur, cordisque vires

vires naturales ad tantam copiam sanguinis abundantis pro-pellendam haud sufficiant; sed agri angustiis præcordio-rum, lassitudine & languore virium, imo animi desectioni-bus corripientur, qua^e catharrhum quandoque suffocativum minitantur. Quibus vero in calibus prædictis cardiacis re-mediis omnibus cor non roborabitur; verum tempestiva sanguinis missio plerumque hic plus præstat, quam omnia alia celebratissima analeptica. Dum enim hac pondus sanguini-nis nimium afferatur, reliqua naturalis eius quantitas a cor-de facile & sine molestia circumpellitur. Vnde patet, sanguinis missione non semper debilitare, ut haud paucivo-luerunt Medici; sed eam haud raro inter cardiaca sive ro-borantia primum locum tenere.

X X X I I I.

Quemadmodum vero hactenus multa interna enarra-vimus cardiaca eorumque agendi modum explicavimus; ita iam restat, ut paucis quoque de *cardiacis externis* aga-mus. Hæc vero generatim sunt fragrantia, suaveolentia, si-ve forti odore prædita, qua^e naribus maxime admoventur, & particulis suis gratis volatilibus salinis ac oleofis, partim membranam narium sensilem yelllicant, stimulant, partim in ipsa vasa ingrediuntur, atque sic motum sanguinis & spi-rituum in cerebro, huicque annexis nervis languidum ex-citant, atque sic tam in corde, quam aliis partibus in mo-tum deducunt. Applicantur tamen etiam pulsibus, imo & quandoque cordi: unde vero non adeo magnam vim car-diaceam in corpus redundare posse existimo.

X X X I V.

Nonnulli vero melius *acidorum odorem*, ut vini, vel ace-ti vini simplicis, vel rosarum, vel lavandulae, vel caryophyllo-rum

rum aromaticorum odore imprægnati ferre possunt, quam salium aut spirituum volatilium. In aliis autem requiruntur *salia volatilia oleosa*, liquida vel solida, vel *spiritus volatiles*. Hos reficit *odor panis*, præsertim recentis & calidi; quemadmodum hoc *Democritum* diu sustentatum esse scribunt; a) alios *baccarum coffee adustarum* sive ustulatum: ubi in quovis casu æger vel eligere & petere potest, quod amat & perferre potest; vel Medicus talia ordinare debet. In calidis tamen morbis plerumque acidorum odore melius reficiuntur, quia spiritus concentrare, & motum humorum nimium moderare videntur. In frigidis vero spirituosis, ut aqua Reginæ Hungariae, aqua lavendulae spirituosa, apoplectica, Anhaltina, carfunculi, aliisque spiritibus; vel sale quodam volatili oleoso, fluido aut sicco, quæ spiritus excitant, magis roborantur.

XXXV.

In animi deliquiis aut debilitatibus mulierum hysteriarum optima cardiaca, tam interna quam externa, uplurimum sunt foetida atque hysterica dicta: in primis castoreum, vel in substantia, vel acetum castorei, vel essentia eius, vel aqua hirundinum cum castoreo, aliaque ex castoreo præparata. Deinde etiam spiritus C. C. vel sal volatile eiusdem, liquor C. C. succinatus, oleum tartari foetidum, alia foetida, corium, pennæ, præsertim perdicum, aut cornua adusta aliaque similia. Vbi vero speciatim adhuc notandum, quod præter mulieres multi viri, præsertim quibus caput a studiis debile est, nulla suaveolentia ferre possint; sed facilius his in animi deliquia graviora coniiciantur, quam

a) Vid. DIOGENES LAERTIUS in vita DEMOCRITI.

quam ut ab his liberentur. Dantur tamen etiam & mulieres & viri, qui castoreum aliaque eiusmodi foetida ferre nequeant: id quod Medicum ex ægris interrogare oportet, antequam talia præscribat.

XXXVI.

Ex his igitur apparet, cardiaca esse varia atque diversissima; ita ut quæ in his morbis aut ægris convenient, in aliis noceant. Qua propter Medici prudentis & genuini est, pro causarum, morborum & grorumque diversitate cardiaca prudenter eligere atque decenter applicare: id quod pro virium modulo hac in dissertatione breviter, quantum nunc quidem fieri potuit, exponere placuit: si que nonnulla meorum monitorum commilitonibus meis aliquam hoc in argumento utilitatem præstitura sint, gaudebo. Plura quidem longe de his medicamentis dici potuissent, verum hæc specimenis loco nunc sufficiant.

F I N I S.



DE MEDICINA ET CHIRURGIA
COROLLARIA.

IV. XX.

Aurum in marsupio cardiacum esse novi; in corpore vero nulla vis cardiaca inde percipitur.

II.

Pulveres quoque, confectiones & aquæ, quibus aurum immissent, nullam propterea maiorem vim cardiacam aequirunt, quam si sine auro ægris exhibeantur.

III.

Neque in essentiis aut crocis auri tantopere celebratis, aliam vim cardiacam agnoscō, nisi eam, quam vel a menstruo, vel ab aliis admixtis cardiacis obtinent.

IV.

Idem de margaritis, gemmis & lapidibus vulgo pretiosis dictis, sentiendum esse puto.




01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







S. 5/11

DISSESSATIO MEDICA IN AVGVRALIS
DE
**MEDICAMENTIS
CARDIACIS**
Von Herzstärckungen
QVAM
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV
PRÆSIDE
VIRO CELEBERRIMO
LAVRENTIO HEISTERO
MED. D. ANATOM. PHYSIOL. AC CHIRVRGIAE
IN ACADEMIA JULIA P. P. O. ACADEMIARVM
CÆS. NAT. CVR. ET REG. BEROLIN.
SOCIO
PATRONO ATQVE HOSPITE SVO
MAXIME DEVENERANDO
PRO GRADV DOCTORIS
DEFENDET
MARTINVS CHRISTOPHOR. POLENTZ
LIPSIENSIS

D. XIV. NOVEMBRIS AN. MDCCXXIX.
HORIS LOCOQVE CONSVENTIS.

HELMAESTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.